ibique primo grandia excrescere reperit edificia et mea et tua appellari que prius fuere communia. Et quoniam vix cuique transitoria omnia succedunt prospera quin poculis mellitis immisceantur amara. Post multa ecclesie collata beneficia eximiarum obliuionis maximum ecclesia preiudicium excepit incommodum. Ipsa enim crucibus miro sumptu deauratis xviii crematis que trecentarum marcarum et amplius computabantur in precio. **De electione**

5 **Vdalrici benignissimi abbatis.**

Iste germinis eiusdem ramusculum de sacre orti viridum dulcis plantationis flore prospiciens quo in ramum terebinti excresceret, pergrande dulciloquis grammatice ac dialetice floribus imbutum informare fecit. Informatumque parisius ac bononiam transmisit iuris quoque peritum cum summa diligentia repatriatum omnibus bonis conformatum ad summa peruexit. In quo cum mira vocum esset affluentia sapientie nectare condita nec non spectabilis vultus animique iocunditas gloriosa cum esset portarius dignus auctoritate abbatie preesse iudicatus est. Sicque in abbatem tam clientum quam fratrum in monasterio voluntario eligitur arbitrio totiusque vulgi clamore electus. Apud basileam igitur philippo augusto presentatus honorifice ab ipso cum suis excipitur et in principem promouetur. Et quia lumen accensum sub modio latere non potuit dic inquit rex noue princeps quid in perplexa sententia retexis non bene cognita principibus sententias eructa verbum nodos extrica difficiles de armario olim sancti galli nostrorum instillatas auribus antecessorum augustorum. Salua inquit reuerentia principum conflictum inter se habentium iuris prudentum instituta non mea sagacia sed legum iusticia. Principum inquit conflictus inter se varia repugnancia sic est elucidanda ut amputatis opinionibus superfluis ad ultimum fiat concordia que quomodo stare possit et non legum sic explicat distinctio. Dum mira in iuuene principe mercatur philologia quam sparso rubore iuuenili promulgauit eloquia cordis dudum instincta cassidili laudatur ab omnibus. Dignusque summo iudicantibus honore reuersus est ad monasterium. Quo post liminium domum reuerso preuius sui predecessorum et habitum memorans et versa habitum videlicet pecunie heinrico de eichheim preposito cum aliis sodalibus creditum et videns quibus licere sibi non esse conueniens ut dispergat congregatam que non congregauit pecuniam ecclesie sibique creditam repostulauit. Ipse hospitalitati nimie dans operam requisitam ab abbate sibique creditam non reddidit quod in hospitibus omnia que habere potuit expendit. Et quid fecisse credis abbatem indignum nisi ut pecuniam sui iuris a fratre sibi subdito expostularet. Nolo inquit fratrem meum creditum perpetualiumque exactione perdere pecunie. O virum inter mille septies probatum que nec cumini incendit penurie aduersus fratrem cum ipsum in sua habuisset potestate neque auri sacra fames atrocitate fecit apostatare. Erat namque iocundus in facto blandus verbo vultu delectabilis cui nulla unquam se intulit accedia fortis in aduersis humilis in prosperis simulator cuiuslibet rei ac dissimulator proprie et quasi fidelis amator fratrum in nullo ipsos voluisset offendere. Qui triuio grammatice logice et rethorice et philosophie non mediocriter eruditus iure forensi et ecclesiastico quicquid excogitari poterat faceto minerue poculo cunctis audientibus propinabat. Et quo sciencia inflat sublimioribus se regum principibus et actu equipperabat et moribus. Et quo in sacris ordines constitutus in sacerdotem debuit promoueri promotus talem se exhibuit in peragendo officio ut humilitate morumque temperancia et perfectissimis se viris equipperaret et moribus. Que tamen dispensatores expeditus negocio quod oportuit suum executus est officium. Sed et si quando celebrabat sic deuotum se studuit exhibere ut non hominem sed angelum si liceret crederes celebrare. Dies quadragesime cum summa studuit reuerentia obseruare.

Accidit interea ut omnium boni inimicus zizania inter comitem hugonem de monteforti et heinricum de sax sepe memoratum fratrem abbatis summo conatu ingereret et pacem sepius firmatam infirmare satageret. Vnde factum est ut castrum a memorato heinrico de saxe inchoatum clanculo volens surripere tempus nactus opportunum tum propter iam dicti heinrici absenciam qui tunc forte ierat in hispaniam suis omnibus abbati fratri commissis tum propter dies passionis in quibus eos reconciliari homicide aliique malefactores in die parasceue cepisset destruere. Volat fama auribus